



Albertus honesto loco apud Boios natus, ob insignem corporis & animi fortitudinem in magna autoritate fuit. Itaque a Ludouico Cæsare Neostadij praefectus constitutus est. Cum autem eo tempore duo Cæsares creati essent, atque illi duo in uicem acie decertarent, Ludouicus ingenti clade hostes affecit, atque memorabilem uictoriā obtinuit. potissima laus tamen penes Syfridū Schuuеп permānum, & hunc Albertum extitit, qui ob truculentum in eo prælio uultum Rindmaul cognominatus fuit. In ea pugna Albertus disciplinæ militaris apud Boios peritissimus, sinistrum cornu curare iussus. Cum autem summum Boiens periculum instaret, Albertus cum suis in equitum agmen irrupit, ubi Fridericus Cæsar erat, atque hostium cuneum perfregit. Itaque tandem Fridericus Austriacus, ubi se solum cum paucis derelictum, atque suas copias fusas animaduertit, deditioñem Rindmaulo urgente fecit, a quo etiam ad Ludouicum Cæsarem, quem a se imperfectum putabat, magna gloria deductus fuit. Vnde Ludouicus Alberto gratias agens, ei hunc Fridericum captum obseruandum tradidit. Hoc modo Albertus ob strenuam nauatam operam sibi & sue familię magnum nomen comparauit, anno 1321. Auent. lib. 7.